

*steter. Decad. 9. observat. 2. p. 210. D. Ammann. Med. Crit. eas. 60. p. 306.*

## CAP. IV.

## LOCUM NATALEM, CULTURAM ET TEMPUS JUNIPERI OSTENDIT.

CUM non omnis ferat omnia tellus, *Locus natalis Juniperi.*  
 meritò in locum natalem Juniperi inquirimus. Provenit Juniperus tam Major, quam Minor, variis in locis. Major præcipuè nascitur in ASIA, GALLIA, ITALIA, præcipuè ad mare Tyrrhenum, ut & inter Calpen & Malacam, Bœlicæ item & Gallie Narbonensis ora maritima, sicuti illam ibidem observavit Clusius loc. supr. citat. & Croll. loc. supr. cit. In Galliâ eam præcipuè observavit Ruellius, ita enim lib. 1. de natur. stirp. cap. 90. inquit: Montes amat, in planissimis nasci recusat. Plerique colles in Galliâ montiumque juga junipero pubescunt &c. In HISPANIA vastam nasci Juniperum testis est Plinius. GERMANIA nostra incomparabili hoc Thesauro quoque largissimè est prædita, & in ejus provinciis ubique ferè in copiâ inveniuntur Juniperi, cum in Septentrione etiam Juniperos nasci præter Danos medicos hodiè celeberrimos testetur quoque Olavus magnus Gurbus lib. 1. de genitib. Septentrional. Unica sylva Hercynia

*Juniperus  
non visa in  
montibus  
Hercynie.*

*Juniperum* non possidet, de quo ita *Magisio* & *Experientiss. D. D. Frommannus, Consul & Physicus Noribusanus* meritissimus in literis ad me datis: Non memini me vidisse *Juniperum* in montibus *Hercyniæ*, neque *Johannes Thalius Medicus* quondam & botanicus noster percelebris in herbario suo ullius facit mentionem. *Causa* hujus esse potest, quod *Juniperus* referente *Matthiolo pag. 53. epit. plantar. ex Plin. lib. 6. cap. 18.* imprimis feliciter crescat in collibus & montibus, arido præsertim tractu, jam verò montes *Hercyniæ* pingvi gaudent tellure id quod ex uberrimo graminis & pascuorum proventu satis colligi potest, sicque ob abundantiam alimenti ibidem feliciter germinare fortasse nequeunt, vel proventus *Juniperorum* ab exhalationibus metallicis summè noxiis, quæ ab intrâ latentibus mineralibus proveniunt, impeditur.

Variis quoque aliis in locis & Provinciis *Africanis, Asiaticis & Europæis*, imò & *Americanis* provenit *Juniperus* & pauca terrarum loca ab usu ejus excluduntur, ex quo summa Summi Creatoris elucescit Sapiencia, ut vitæ hunc incomparabilem Thesaurum non parcè, sed abundè omnibus propemodum mortalibus, ob tam varia stupenda & admiranda

com-



commoda concesserit. Inprimis & THURINGIA nostra hęc πολυχρησω superbit decore, ubi in sylvis & montibus inculta copiosissimè provenit Juniperus, ita ut multa dentur junipereta satis ampla, sicque aliis usum Juniperorum desiderantibus pro voto inservire queat, hęc verè quadrat dictum Salvatoris nostri: Accurrite mortales & sine pecunia emite & colligite.

Cur autem plantæ incultæ felicius crescant quàm quæ maximâ adhibitâ diligentia excoluntur, rationem non incongruam sequenti inclusam simili Esopius tradidit, inquiens: Sicut mater liberos à se prognatos majori amoris cultu prosequi solet quàm privignos, licet illi optimè commendentur, cum amor innatus & naturalis εσθρη̄ semper prævaleat, sic & terra plantarum sponte convenientium mater est, illarum verò quæ illi inseruntur noverca, propterea semper curam gerit majorem sponte convenientium, quàm aliarum illi insertarum, ideoque & illæ felicius crescunt parum licet diligentia si adhibeatur. Ex illarum numero & nostra est Juniperus filiusque naturæ audit proprius inculta felicissimè crescens & progerminans. In hortis tamen quandoque Juniperus colitur, cum ob usum medicum, tum ut ar-

Plantæ in  
cultæ felici-  
cins cre-  
sunt  
quàm sa-  
tive &  
Cur?

matâ quasi vi manuq̄ue delicatulas plantas ab incurſu animâlium nocentium defendat, ſepis loco viridariis circumvallata, ibique tunc ſatis feliciter imò in arbuſculâ vel fruticis molem jucundo creſcit ſpectaculo, ſicut in HORTO ILLUSTRISSIMÆ AULÆ SONDERSHUSANÆ, multis raris plantis refertò, in quo etiam ante XV. annos rariffimus ALOES AMERICANÆ flos conſpici licuit, tales Juniperi inveniuntur.

*Aloë Americana  
Sondershusana.*

Sed cum de ALOE jam dictâ nihil vel parùm literarum monumentis conſignatum ſit, lubet hîc inferere depictam & ære excuſſam ipſius delineationem & ſequentem ſubſcriptionem, quæ in mappa, in qua delineata eſt, videtur. ALOE AMERICANA. Flos hic admirabilis & Heroicus in *Horto aulae Illustriffima Sondershusanae* cum aliis raris & exoticis plantis conſpici potuit, qui XL. & quod excurrit annos in jam laudato horto locum tenuit. Tota ejus ætas L. fuit annorum, *Anno 1662. de die XVI. Maſi uſque ad finem Septembris* in tantam excrevit longitudinem, ut altitudo ipſius *XXIV. pedes digitosque duos æquaverit. XII. Pedes* caudex uſque ad primum ramum longa fuit, altera longitudo uſque ad finem etiam *XII. pedes & duos digitos* continuit. Foliorum longitudo maxima ad



IN THE UNIVERSITY OF  
DUBLIN














Handwritten text, possibly a title or page number, located at the top left of the page. The text is faint and difficult to decipher.





ad VI. Pedes cum dimidio, minima à duo-  
 bus ad tres se extendit pedes, numerus il-  
 lorum fuit LX. exceptis illis, quæ inter-  
 dum periëre ob tempestatis & aëris inju-  
 rias, ramorum tam magnorum quam  
 parvorum fuit XXXV. ex quibus lon-  
 gissimus duos pedes cum dimidio in longi-  
 tudine se extendit, Florum numerus  
 pro quantitate ramorum fuit CL. CLX.  
 CLXX. usque ad ramos minores, quo-  
 rum nonnulli LXX. vel LXXX. continue-  
 runt, ita ut tota Summa omnium in hâc  
 Aloë contentorum flosculorum 3500. fue-  
 rit. Et hæc est vera de ALOE SONDER-  
 HUSANA narratio.

Aliam adhuc Aloën florentem vi-  
 dere nobis contigit in pago Schlewen  
 dicto, non procul ab Academia Salanâ si-  
 to, de cujus succo, qui in floribus conti-  
 nebatur & saporem melleum & amarum  
 præ se ferebat observavimus, quod ex  
 flore epotus & assumtus (quantitas ejus  
 à ʒiß ad ʒij se non extendebat) ter qua-  
 terve alvum leniter moverit, unde vis  
 purgans tali succo non denegenda vide-  
 tur.

De Aloë  
 Slewicensi  
 observa-  
 tio.

Sed redeamus ad nostram Juniperi-  
 rum. In locis Orientalibus in tantam  
 exurgere molem Juniperos, ut & ædibus  
 struendis sint idoneæ, supra jam dictum  
 est. O invidendam felicitatem!

C 4

Tem-



*Tempus  
Juniperi.*

TEMPUS *Juniperi* quod concernit, viret illa æstate & hyeme, in primis autem, referente *Nobilissimo & Experientissimo D. D. Andrea Mackio, diversorum Principum ut & Archiatro Rædolphopolitano Schwarzburgico meritisissimo* in literis d. 31. *Maji* 1677. ad me datis, notatum est, quòd per integrum licet annum vireat hæc arbor, mense tamen *Majo* potissimum vigere animadvertatur.

*Floris Ju-  
niperi.*

FLORERE dicitur *Juniperus*, cum rudimenta exigua baccarum formâ oblongâ & colore luteo apparent, qui color si avolet succedunt & videri possunt baccae minutissimæ, colore viridi, licet hic contradicat *B. D. D. Hofmannus*, qui *juniperum fructus ferentem non florere dicit lib. 4. Clav. Pharmaceutic. Schröderian. §. 192, pag. 492.* Hoc enim ipsi contrariatur experientiæ, floret enim tam *Mas*, quàm *Fœmina*, sed nullæ post florem in *Junipero Mare* apparent baccae, sicuti hoc quilibet in *Junipero* spectare potest.

*Ligni Ju-  
niperini  
colligendi.*

LIGNUM JUNIPERINUM ad usum medicum si expetatur, cædendum illud jubent Autores mense Martio, tuncque odorem pollicentur svaviorem.

*Baccae  
quando  
colligende.*

BACCÆ JUNIPERI colligantur maturæ, tempus colligendi optimum est circa medium Augusti & finem Septembris, seu ut alii dicunt existente Sole in signo



figno Virginis, quo pleræque maturitatem acquisivêre & ad elaborationem medicamentorum idoneæ existunt.

FUNGI cum potissimum mense Maio *Juniperis* adnascantur, ideò & tunc temporis colligendi sunt & ad usum aservandi.

GUMMI JUNIPERINUM, quoniam æstatis tempore effluit & sensim indurefcit, colligi potest, quando aliquam acquisivit duritiem & quidem eâdem æstate, quâ ex *Juniperis* effluxit.

Circa modum colligendi nihil singulare observandum, *Juniperus* enim leviter ferulâ percussa, libens dona sua communikat absque ullo periculo, nisi fortè fortunâ aculeis suis incautos lædat, vulnere tamen haud periculosò; atque ita non metuendum est periculum, cujus mentionem *Eresius* in collectione Hellebori, innocentis tamen hâc in parte, facit *lib. 9. histor. plantar. cap. 9.* dum eorum numero adscribit Helleborum, ὧν μὲν ἐπισινεῖς αἱ δυνάμεις: Ἐξάκλειον γὰρ Φασίν, ὡς περ πῖρ καὶ κατανάειν τὸν ἐλλέβορον, ἐπεὶ καὶ ταχὺ καρπηβαρεῖν ποιεῖ, καὶ ἔδύναται πολὺν χρόνον ὀρεῦσθαι: εἰάν γὰρ ἡμέρας καὶ ὀφθαῖτις ὑπὸ δρυοκαλάπτει τὸν μὲν καρπὸν ἀπολέγων, κινδυνεύει τοῖς ὀφθαλμοῖς, τὴν δὲ ῥίζαν τέμνων, ἐκπίπτει τὴν ἑδραν. *Helleborum incidere & ignis*



instar urere ajunt. Mox ille caput aggravat, nec diu illum effodere possunt: Nam si interdum fractum & à pico Martio colligere quis videatur, oculis periclitabitur, Radicem autem secanti sedes procidit.

Tale periculum hîc non metuendum est, sed collectio sine noxa fieri potest, pro colligentis lubitu cum voluptate.

## CAPUT V.

QUALITATES ET VIRTUTES  
JUNIPERI EJUSQUE PARTIUM  
CONSIDERAT.

JUNIPERI qualitates nunc attingere ordinis postulat ratio, quoniam verò Juniperus diversas partes considerandas habet, & diversimodè illæ consideranda veniunt.

*Ligni  
qualitates.*

*Lignum Juniperinum* calidum & ficcum esse gradu tertio, omnes ferè consentiunt Botanici, id quod & *Galenus* affirmat lib. 6. de simpl. med. facultat. p. m. 1072.

*Baccarum  
qualitates.*

*Baccarum Juniperi* temperamentum *Schrödero* lib. 4. Pharmacop. Med: Chym. p. 88. calidum est gradu tertio, & ficcum gradu secundo, *Galeno* verò citato loco. ut & *Sennerto* lib. V. Inst. part. I. sect. 1. cap. 3. ficcum gradu primo.

*Gumma-*

*Gummi Juniperinum, Sandaraca Arabum*